

**www.e-rara.ch**

**M. Georgii Andreae Helwings ... Lithographia Angerburgica, sive lapidum et fossilium, in districtu Agerburgensi & ejus vicinia, ad trium vel quatuor miliarium spatium**

**Helwing, Georg Andreas  
Regiomonti [Königsberg], 1717**

**ETH-Bibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rar 1092

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-12506>

Caput V. De lapidibus certam figuram praeditis.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

gnum est, quod Clusius in Garziæ ab Horto Historia de Gemmis annotavit, per universam scilicet Indiam, crystallos non reperiri, ubi simul hanc subministrat rationem, scilicet quia crystallus loca frigidiora amat, quales sunt Alpes Germaniam ab Italia separantes h. i. p. m. 176. Cum quò cohæret quod Olaus M. de Ostrogothorum oppido Sudercopenfi, & crystallini lapidis generatione, Historiæ suæ Septentrionali inseruit, ut videre est l. 2. c. 28. *Fluores* aliquando in aliis lapidibus prostant, quemadmodum albos & ex candido cœruleos ostendere possum. *Granatorum* quoque aliqua ratio habenda est, reperiuntur enim in gemmarum & imprimis Achatum superficie, ut in matrice hærentes, extra quas separatim neque in agro, neque circa margines aquarum hætenus visæ sunt. *Rubini* pretiositas, cujus licet ne vestigium quidem prope Angerburgum appareat, non permittit tamen ut eam intactam relinquamus; Cum enim ante biennium mensè Octobri inter Doctissimos & Curiosos Elbingæ Proceres, & plurimum Reverendum Doctissimumque Dominum Wilhelmum Rupsonium visitare, sub fide mihi retulit, se Rubinum lupini magnitudine ad ripam alluentis amnis sustulisse, qui, ut ipse vidi, politurâ acceptâ & auro inclusus, tanta pretiositate & splendore sese commendabat, ut Orientalibus vix cedere videretur.

## CAPUT V.

## De Lapidibus certâ figurâ præditis.

## §. I.

**I**nter lapides figuratos, quos territorium nostrum intra suavisera nutrit, primo loco videndi erunt, qui sese *Mathematicâ figurâ* & quidem *Sphærica* ostentant. Hujus generis quam plurimi sese offerunt: ex quorum numero notatu digni lapilli exactè sphærici, & apti, qui pro plumbea sphæra seu pila ad sclopetorum usum recipiantur. Olaus M.

in Ostrogothenſium montium vallibus infinitos lapillos globuli figura formatos reperiri teſtatur, eosque cœli & elementorum ſecreto influxu fieri, aſſerere non erubescit Hiſt. Sept. l. 2. c. 28. Magis conſideratè quidem Ferrantes Imperatus à circumvolutione motuque exteriori rotundari putat H. N. l. 24. c. 27. Geſnerus tamen optimè tales ſolius naturæ beneficiò abundare ex mente Cardani perhibet. Quibus accenſeri merentur ovales, hemiſphærici, depreſſi & alii ad Mathematicas figuraciones quòcunque modò accedentes. Sicuti exempli gratia lapides caſeiformes, qualis eſt *lapis in Caſei Belgici figuram depreſſæ rotunditatis formatus*, im campo Kehlenſi inter ſtrues lapidum deprehenſus, cujus generis & alius viſus, qui caſeum Hollandicum referebat, per medium diviſum. Corium extremum caſei corio adeo ſimile fuit, ut vix ovum ovo ſimilius dici poſſit: in medio ita denſatus erat, ut ſolidum corpus efficeret, & ſuperficies colori caſei reſponderet. Poſſeſſor hujus lapidis tum temporis erat Doctiſſimus Dominus Pauli, Rector Johannisburgenſis, nunc ArchiPreſbyter Memelenſium digniſſimus. Deſcripſit hujusmodi lapidis figuram jam ſuo ævo Kentmannus l. c. p. 45. Plures minores caſeiformes, depreſſos caſeos referentes, Germ. *Zwerg* / Pol. *Gomolky*, quod cornibus careant, & alii in extremitatibus cuſpidati Polon. *Twarogi*, quaſi *Dwa rogi* majæce binis cornibus præditi, atque alii aliter figurati, ad rivos leguntur.

## §. 2.

Addimus hic lapides, quos natura *panibus ſimilagineis amulos* finxit, ex duobus rotundatis & globuloſis lapidibus, quorum alter altero ſemper minor apparet, ſibi invicem artiſſimò nexu ita junctis, ut juncturæ interſtitium ſatis manifeſte inter eos conſpiciatur, quorum ſuperior pars extuberans & convexa eſt, inferior verò plana apparet, wie die *Paar-Semmel* geſtalt. Deſcripſit ejusmodi lapidem jam Wormius in ſuo Muſeo eumque  
filicem

silicem panem triticeum melioris fortis lib. 1. c. 13. Sect. 2. nominavit. Mylius in Saxoniz suæ subterraneæ p. 1. pag. 61. lapidi mammoso Aldrovandi l. 4. p. 769. descripto, assimilari putat, licet ratione coloris differentia quædam intercedat.

## §. 3.

Aëtitz hic quoque locum damus. Et licet vulgarem in Prussia non observaverimus, multos tamen alios variè figuratos, partim arenâ resonantes partim non resonantes & callimo vel terrâ repletos, in fabulosis & inprimis in stratis littoralibus vidimus, hac tamen notabili differentia, quod ex stratis exempti plerumque integri, ad littora verò lecti contracti apparuerint. Inprimis copiosus iisdem locis occurrit *Geodes*, crustæ durioris partim subrutili, partim sublutei coloris, massam plerumque luteopallidam, rarius albam in se continenti inclusus, aëtitem depressæ rotunditatis simulans. Est & alius oblongus, Misnensis Kentmanno l. c. p. 35. dictus, itidem terra lutea prægnans.

## §. 4.

Conicam figuram referunt *Belemnites*. Fertilem eorum Prussiam esse & nostrum testari poterit clima. Facili enim negotiò inveniuntur. Non solum ad littora lacûs nostri, sed etiam è terra glareosâ copiosè effodiuntur. Sæpissimè enim lapidi calcario vel gypseo ceu matrici suæ immersi apparent. Ut plurimum autem nostri *Belemnites* pellucidi sunt, neque armaturâ metallicâ obducti, quod defectui metallicarum exhalationum in oris nostris adscribendum putamus. Quos ego collegi, sunt in sequenti ordine :

1. *Belemnites* massæ lapideæ coloris cinerei ut matrici inclusus. Hujusmodi quam plurimos possideo in rubro nigros pellucidos, intus cavos & materiâ terreâ impletos, secundum majus & minus differentes.

2. *Belemnites* separatus Prussicus in rubro niger pellucidus, figuræ conicæ jam à Kentm. l. c. p. 34. descriptus.

3. *Belemnites* cinerei coloris pellucidus, qui terram in se continet, itidem à Kentmanno delineatus, quem Gesnerus de fig. lapid. p. 91. & 97. *Belemnitem* albicantem tanquam crusta è creta inductum appellavit. Et hic est figura conica.

4. *Belemnites* depressus figurâ conicâ.

5. *Belemnites* erosus & quasi vermibus exesus itidem conicus. Bajer. Oryctogr.

6. *Belemnites* cui alter innatus, figura quidem conicâ verùm depressa, conf. de Laët de gemm. & lapid. p. 154.

7. *Belemnites* cylindraceus, qui itidem cum præcedentibus pellucidus & albicans est: hujus specimina alia sunt majora, alia minora, quorum figuram pro imperfecta & detruncata cum Doctiss. Bayero in Oryct. Nor. habemus.

8. *Belemnites* cylindraceus niger Germ. Rabenstein.

9. *Belemnites* pellucidus fabæ formâ: Horum alii sunt excavati vel perforati, alii verò integri figuram vel conicam vel cylindraceam ostendentes.

10. *Belemnites* ari pistillum referens, qui in medio ventricosior, utrôque autem extremô tenuior est, ut describitur à Scheuchzero in specimine Lithogr. Helvet. p. 25. cujus iconem dedit num. 34, itemque Luidius num. 1702. Ichnograph., quem Gesnerus fusi seu Rhombi oblongi utrinque mucronati specie, aut pyramidis potius, duplici basi sibi invicem junctæ, mucronibus autem oppositis, delineavit. lib. de fig. lap. 92.

§. 5.

Hujus generis maximè curiosum extra matricem constitutum in scrinio meo asservo, de quo quid sentiam reticere non possum. Est autem modo dictus *Belemnites* sextantem cum semuncia longus, unciam autem latus, quoad materiam reliquis Prussicis non dissimilis, pellucidus seu succini Falerni  
ut

ut vulgo dicunt colorem præ se ferens. Et quoniam qua partem crassiorem in extremitate satis apertè articulationem quandam, foraminulo aperto ostendit, qua veluti spina dorso cujusdam animalis quondam adhæsisse videtur, in eam opinionem nos facilè prolabi debere svadet, quâ suspicemur, generationem suam & formam animalibus marinis debere, & imprimis ex testaceorum genere iis, qui Tubuli, Penicilli, Entali & Dentali appellantur. Cui etiam opinioni patrocinari videtur, quod specimina quædam, testa membranacea obducta fuisse, observata fuerint, quod testatur sagacissimus Cimeliarcha Asmoleanus Luidius Epistol. 4. p. 115. Ichnographiæ suæ: Unde salva tamen dissentientium autoritate non solum colligimus, eos unicos, & solos, qui sese modo descripta ratione ex utràque parte cuspidatos præbent ut ex Tab. 1. fig. 1. apparet, pro integris agnoscendos esse, reliquos verò omnes sive cylindraceæ sive conicæ vel denique depressæ sint figuræ, pro confractis, attritis, imo pro fragmentis censendos, sed etiam matrices sic dictas pro Belemnitarum locò natali nunquam habendas esse. Et licet nos Belemnitas lapidibus ut matrici inclusos recensuerimus, neutiquam eò ipso statuere volumus eos inibi generari, vel produci, sed tantum ex communi opinione asseruimus sæpe Belemnitas jam antea à naturâ productos & perfectos, cum in visceribus terræ laterent, accidentaliter massæ lapideæ inclusos fuisse, atque in eâ ut aliquò carcere hæsisse, ex quò tamen facili negotio liberari possint. Præprimis autem ideò matrices eis assignavimus, ut differentia eorum, qui ab ejusmodi ergastulo liberi sunt & separatim colliguntur, eò melius intelligi possit.

## §. 6.

*Dactylos* quos vocant *Idæos* ex plurimorum Autorum sententiâ, pro Belemnitis cylindracei speciei, vel ut rectius loquar pro fragmentis Belemnitarum fluctibus vel aëris tempestate lavigatis

vigatis habemus. Qui verò pro Daçtylis Idæis à quibusdam venditantur, ad cancri caudæ fimilem lapidem à Gesnero descriptum, vel potius ad insecti cujusdam petrificati fragmentum referimus, quod infra clarius demonstrabitur. Ut autem Belemnitz quædam species Daçtyli Idæi nomine insigniretur, Plinio lib. 37. c. 10. occasionem dedit externa quam quidam Belemnitz ostendunt forma, quâ digiti humani seu pollicis magnitudinem & similitudinem ostentat. Quanquam Gesnerus ab Ida Cretæ monte ita appellatum fuisse perhibuit, cui sententiæ num quispiam subscribere velit, in libertate ejus positum erit. Interea tamen certum est magnam confusionem ortam esse ex diversâ hujus lapidis appellatione, atque adhuc hodiernum oriri; huic ut subveniamus, brevissimis præcipuas Belemnitz Synonymias evolvemus. Dicitur *Belemnites* à sagittæ quæ Græcis *Βέλεμνον* dicitur, forma, quam cuspside & acuminata sua extremitate refert. *Lyncis lapis* seu *Lyncurinus* autem dicitur, quia nonnullis persuasum fuit eum ex urina lyncis fieri, aut ideò quod *Lyncurio* lapidi pretioso, quem succinum esse credebant, ex colore Falerno & attractione pælearum, quàm simillimum esse judicabant. *Coracias* autem seu *Corvinus lapis* Germ. *Kaben* vel *Kappenstein*/ is, qui sese peculiari quâdam nigredine præ aliis commendabat. *Ceraunite* nomine venit iis, qui ex nubibus cadere autumabant, qua de causa etiam Germanicè *Straalstein*/ *Donnerstein*/ *Donnerkeul* efferebatur. Qui autem germanico idiomate *Alpschoß* vocabant vel *Schoßstein* / hi ab ephialte & sagitta appellationes traducebant, existimantes, lapidem ejusmodi quòcunque modò potum, contra hujusmodi suppressiones valere, ac inprimis fascinationibus occurrere posse: à similitudine verò teli, quod *Schoß* vocamus, derivabant, quod ad vulnera & pleuritidem prodesse conjiciebant, conf. Boët. l. 2. c. 260. item Gesnerus de fig. lap. p. 92. versa. Præterea de Belemnita Prussico scripserunt de Laët libro de gemm. & lapid. l. 2. c. 23. Kentmannus p. 34. Nomencl. foss. Gesnerus loco sæpe citato & alii.

## §. 7.

Est & alius lapis Belemnitz similis figuræ conicæ, ex materiâ albida margacæâ satis dura constans, fabulosa crusta obdutus. Alii quoque ejusdem farinæ teretes, uncialis, sextantis imo quadrantalis longitudinis, tam separatim quàm calcario lapidi inclusi ad littora colliguntur. Quibus tamen longè majores sunt lapides figuræ conicæ, extra materia lapidea coti vulgari seu aquariæ simili, ad thaleri crassitiem in circuitu obduti, intus verò ex materia fuscocinerea satis durâ compacti, acutangulum, plurimi verò obtusangulum, alii rotundam, alii depressam, nonnulli perfectam, quidam imperfectam figuram ostendentes, à rusticis pro cuneis fulminaribus habiti. Copiosi sunt auf den Harsfischen und Roggischen Feldern in Parochia Angerburgensi. Hic quoque *Stalagmitis* seu *Stalactitis* hoc est stillatici lapidis Germ. *Walstein* vel *Tropfsstein* mentio inferenda esset, ejus scilicet qui figurâ oblongâ & in modum stiracis producit: verùm cum ob defectum cryptarum apud nos non generatur, reliquas species ex materia coralloideâ concretas, sub loco pertractabimus.

## §. 8.

Mathematicis figuris, in specie *Astroites* hætenus apud nos inventos sequenti ordine annumerare placet. Primus est *Astroites* stellis prominentibus, foraminibus apertis, Scheuchzero in Specimine minoribus stellis dictus fig. 52. quorum unus ad littus Ekersbergense, alter ad Kehlense inventus; ad *Astroitem* prominulum Luidii num. 171. uterque accedens, figuras ostendit Tab. I. fig. 2. & 3. Datur quoque & tertius, scilicet *Astroites* minimus itidem à Scheuchzero l. c. descriptus. Colliguntur adhuc alii stellati lapilli, qui non solum in summâ superficie stellarum vestigia repræsentant, & stellulis pentagonis exactissimè externè figurantur, ut ex Tab. I. fig. 4. patet; sed etiam to-

tum lapillum permeant & interiores ejus partes transeunt, inter quos nonnulli vix lentis magnitudinem præ se ferunt. Qui tamen nihil aliud sunt, quàm articuli entrochorum, seu trochi ipsi, qui ita nonnunquam separati, soluti & singulatim ad littora reperiuntur, conferri poterit Luidius num. 1234. quos nos quoque Tab. 1. fig. 5. 6. 7. expressimus. Hic locandum puto lapillum, cujus lineæ à centrô ad peripheriam arte quasi Mathematicâ ductæ apparent, porpiti Luidii nummulari seu complanatæ propemodum figuræ simillimum, cujus iconem dedit Luidius Tab. 3. num. 151. nos autem figura 8. Tab. 1. lapidi alii adhuc inclusum exposuimus, ex quô tamen jam exemptum asservamus. Non multum dissimilis modo dicto est lapillus *Astroite cognatus* cujus superficies paulo convexa est, striis à medio versus peripheriam nunc rectis nunc obliquis & arcuatim excurrentibus, sulcata, quem Tab. 1. Bajer. in *Oryctogr.* n. 15. expressit. Si autem dicendum quod res est, Entrochorum quoque rudimentum esse censemus, id quod ex lapidibus matrices Entrochorum referentibus non obscurè conjicitur, in quorum superficie quidem ejusmodi stellares figuræ porpiti nummulari æmulæ apparent, quæ tamen profundius lapidi inclusæ hærent, & pluribus Trochitis unitæ Entrochum perfectum efformant. *Entrochos* & *Trochos* autem specialiter quod attinet, hi ut à modo dictis ita à se invicem non nisi ut pars à toto differunt, plurima enim horum specimina & speciatim seu lamellis singularibus, trochorum nomine insignita ut ex Tab. 1. fig. 5. 6. 7. patet, & ex pluribus Trochitis seu rotulis, in corpore cylindræo unita, sub Entrochorum appellatione in nostris littoribus leguntur, juxta Tab. 1. fig. 9. 10. & 11. Omnes & singuli orbiculares perforati, plerumque colore albi, materiâ selenitici, magnitudine variantes, à foramine ad peripheriam striati; Matrices in quibus hærent, sunt saxeæ substantiæ durissimæ, in quibus copiosè coarctatæ & compactæ sunt, crassitie & magnitudine differentes, ita ut inter eos quædam specimina exilia

exilia & minutula ut vix fili crassitiem adæquent, appareant. vid. Tab. 1. fig. 12. Quos lapides Luidius ad corallia fossilia reduxit, atque satis graphicè num. 98. Tab. 3. exaravit: sub quorum titulo nobis quoque fusius de hisce agendi subministrabitur occasio. Ad Entrochos quoque spectat *Volvola* quæ juxta Luidium Entrocho congener est, & figuræ plane cylindraceæ. Ab Entrocho non differt, nisi quod rotularum invisibiles sint commissuræ, & plerumque unâ insigni stria notata, quæ in Entrochis innumeræ apparent, in Kchnogr. num. 1162. Ad quos etiam pertinet *lapis durus rotundus*, ab unô latere, superficie stellata, multis lineis ex uno centro ductis, aliis nimirum integris, aliis decurtatis, aliis fere deletis ornatus, ab alterô verò materiâ lapideâ cinereâ obductus, quemadmodum ex Tab. 1. fig. 13. patet. Videtur cum lapide Kentmanni in Nom. p. 36. pag. versâ num. 10. si non idem, ad minimum tamen ei æqualis esse. *Orbita rotularis* hîc Tab. 1. fig. 14. exhibetur, quæ in medio foraminosa cavitate impressa est, ex alterâ verò parte stellata apparet.

## §. 9.

Lapides literatos hîc quoque annectimus. Jacuit diu lapis durior ex saxorum genere, literis manifestis & prominulis I. C. W. semipedalis longitudinis insignitus, in cœmiterio nostro; qui quoniam nostri Consulis nomen, literis initialibus indigitabat, à me ei donatus fuit. Verum per incendium Angerburgense, simul cum hujus Viri ædibus consumtus est. Ad lacus Steinorthensis littora quoque lapis infuscus inventus, qui per literas E. A. G. V. L. & alter G. E. V. L. nomina Illustrissimorum Comitum à *Lehndorff*, scilicet natu minoris Ernst Ahasverus Graf von *Lehndorff* / & natu majoris Gerhard Ernst von *Lehndorff*, exactè referebant; Quos Illustrissimus Comes major natu Chiliarchæ officio in Hassiâ fungens, Celsissimo dictæ Provinciæ Principi ostendendos sibi asservavit. Non minus curiosum

riosum naturæ figurantis opus nobis ob oculos ponit, lapis præterlapso anno ad Nobile prædium Resaviense in Parochia Engelsteinensi situm, in littore lacus alluentis inventus, in quò nomen Generosissimi Possessoris modo dicti prædii, literis initialibus (si Germanicè exprimere velis) **L V R EUDENGE von MUSEN** / justa distantia à se invicem distitis, iisque extantibus, & in eâ lapidis parte quæ colore ab alio lapide distingvitur, & quasi separata apparet, prominulis, tam exactè & signanter exhibetur, ut singulari industriâ sculptoris exaratum fuisse videatur: ubi quoque maximè notatu dignum videtur, quod inter primam & secundam literas, lunæ falcatae phasis cum suis corniculis & circuli reliquâ parte apparente justa proportionem appareat. Reliquæ lapidis partes pectunculis, trochis & entrochis lapidi immerfis repletæ conspiciuntur. A dextris ramus vegetabilis cujusdam expressus est, in luculentum testimonium, quod tam Regnum vegetabile, quam animale & minerale vestigia sua in eo reliquerint. Icon accurato penicillò à Generosissimi Domini Possessoris Filio spei atque expectationis pleno, Juvene non minus ingenii elegantia, quam morum & doctrinæ industria excellenti adumbrata, tabula verò sumptibus modò dicti maximi Patroni incisa ejusque jussu nostræ Lithographiæ Tab. XI. num. 1. inserta fuit. Cui adjungendus & alter buccinitis, conchis, pectunculis & corallii punctati fragmentis refertus, in quo literæ Latinæ A. O. S. itidem prominentes, à se invicem distinctæ & sat manifestæ, non aliter ac si exsculptæ essent, apparent, quem itidem Tab. XI. num. 2. repræsentat. Quæ verò de modò dictò lapide, excellentia doctrinæ & rerum naturalium Perspicacissimi & Clarissimi Domini Consiliarii Kortholtii, Medicinæ Doctoris & Serenissimi Principis in Curlandia quondam Archiatri meritisissimi fuerit sententia, ex ejusdem ad me exaratis luculenter poterit esse manifestum: Mitto hic R. D. V. aliud lacus nostri Resaviensis & ejus ingeniositatis specimen. Non dubito, quin hoc eandem conciliaturum sit

fit apud orbem eruditum, quàm quod præmisi; & videtur certè res esse deliberatione & ulteriore examine digna, cur unò in locò naturæ solertia magis industria, & rationi propinqua inveniri malit, quam in alterò. Est & reperitur quidem in omnibus ex materia productis, admirandi aliquid, si aspicias figurarum varietatem, si colorem, si pondus in materia, cujusmodi trium vinculum in cunctis corporibus contemplari licet. Sed ista quæ hic reperitur elegantia, & quasi edocta facilitas, admodum rara est. Si quis in Anglia prope Harwich ad littus Oceani contemplationem lithographiæ naturalis habere voluerit, inveniet ibi abunde in quò expleat curiositatem & speculationem suam. Reperi ego ibi Anno 1696. pene ad milliaria unius distantiam, & fortassis ulterius ista curiositas se extendet, lapidum numerum ingentem; nam totum illud spatium, sicut alia littora arenam, loco istius petrefacta corpora, parva, magna, monstrat in maxima quantitate & abundantia. Non potui differentiam, quam proclivis ad generandum ancilla Summi ibi ministrat, satis admirari. Nam licet omnes ex luto certo pingvi, quod agitatione maris, rotundam istam, quam præ se ferebat, figuram edidicerat, essent fabricati, diversitates tamen coloris, magnitudinis, consistentiæ, mixturæ erant infinitæ. Aliqui perfectissimam duritiem acquisiverant, & nihil erat quod ipsos non assimilabat, illis lapidibus qui in plateis Londinensibus inveniuntur, quidam autem primum incipiebant indurescere, & quorundam pingvedo erat tam mollis, ut digitorum vestigia, quando inprimebantur relinqueret. Cum ventus esset contrarius, & navis illa postis dicata, quam Pacquetboot vocant, nondum abiret, animi gratiâ pluribus characteres pro lubitu insculpsi, & mecum cogitavi, si post certum tempus ad duritiem destinatam venerint lapides isti characterisati, mirabuntur istas effigies, qui forte invenient & non credent arte factas. Et miratus sum quod nemo ex Anglis tam fuisset curiosus, sculptori perito cum suis instrumentis occupationem dando in his locis,

in quibus satis ad exercitationem artis, materiæ. Nam in limo molli elegantissimas & quas voluisset, potuisset effingere figuras, ex lapide hoc embrione, qui acus etiam admittebat culpides. Nam quos mecum ferebam, illis acus infixæ tam firmiter post. 12. horarum spatium inhærebant, ut sine ruptura avellitari non possent: Observavi etiam à siccitate solis & soli limum istum in quibusdam suæ genituræ speciebus scissuras parvas, & in majoribus majores accepisse, & postea salis quandam efflorescentiam cum liquore lapidescente mixtam, locum & rimaturam explevisse, unde marmoris mire variegantis species in pluribus reperiebatur, quam contemplationem eruditus istius loci relinquo, & ut observent, pro publici boni emolumento quam cupidissimè exopto. Cum primum ad oculos veniret lapis Relaviensis, in mentem venit mihi, si non etiam hoc in loco aliqua curiosa manus ingenium huic limo addiderit. Sed cum literatorum, inter tot brutos, lapidum copia tanta, & nulla unquam reperta in his locis tam curiosa manus sit, & industria talis causam & finem nullum ullo modo indigitare possit, ipsa etiam literarum vestigia satis indicent ingenium, sed non humanum, nulla amplius dubitatio mihi relicta est, quin hermaphroditici aliquid & mixti ex sapienti & naturali solertia hic indagare cupido naturæ mira sua in lucem producendi, voluerit. Quid Luna crescens velit, quid ostreæ, quid siderum figuræ, res est, quæ ingeniosis ansam præbet, ut se exercent & ingenium suum. Cochlearum genus & ostrearum de regno animali, minerali & vegetabili unô tempore partem suam habet. Etiam hic mixti & hermaphroditici aliquid. Solet hoc creati genus sæpe numero ingenium suum monstrare. Quis scit qualia & cujusmodi ulterioris scientiæ elementaris arcana & eorum prognostica, industria naturæ, hic in suis incunabulis ostendere velit, & annon aliquid magis solidi ex his in posterum debeamus augurari. H. I.

Quæ vero nostra de literis L. V. R. in modo dicto lapide reperiendis fit sententia, propediem peculiari dissertatione ex Principiis Physicis ostendere allaborabimus. Interea addimus quoque antea propositis lapidibus, varios lapides literis figuratos, inter quos unus spondâ crucis distinctè insignitus: Gesnerus de figuris lapidum notat, Annebergæ Alabandicum lapidem formam crucis habuisse, & ut accuratius philosophari videretur, addit, hunc lapidem formam potius quam imaginem crucis habuisse pag. 4. l. sæpe cit. (b) Alius adhuc nuper inventus, qui expressè literam W. eminentem monstrabat, & calcarius, in quò Græcum V. inscriptum fuit, cum aliis complurimis, Alphabeti literas, numeros & id genus alia repræsentantibus. Inprimis autem notatu dignus est lapis Insignia quædam referens. Constat hic lineis crassioribus parallelè exaratis, quæ aliis subtilioribus, partim transversim, partim decussatim positis, reticulatam & quasi cancellatam lapidi profundius impressam figuram constituit, materiâ à saxo, in quò hæret, nullatenus diversâ.

## CAPUT VI.

De Lapidibus res naturales repræsentantibus.

## CLASSIS I.

Ex Regnô Vegetabili,  
cujus

## Sectio I.

Lapideos fructus &amp; Semina exhibet.

**E**X quampluribus, qui vegetabilia æmulantur, prima quæ considerationem nostram ingreditur est *Nux Moschata* lapidea. Figura hujus rotunda, extra per crustam rugosa, aspera & quasi figurationibus scolopendritis signata, intus ex materia lutea